

**1993-06-11 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Inter Paroeciales’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***INTER PAROECIALES***

**TEMPLUM DEO DICATUM IN HONOREM BEATAE MARIAE VIRGINIS  
IN CAELUM ASSUMPTAE, IN ARCHIDIOECESIS MINSCENSIS  
LATINORUM-MOHILOVIENSIS LATINORUM LOCO VULGO  
BUDSLAW APPELLATO, AD BASILICAE MINORIS GRADUM EVEHITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Inter paroeciales aedes in cara terra Bielorussica exstructas, sanctuarium illud Deo dicatum in honorem Beatae Mariae Virginis in Caelum Assumptae in pago vulgo dicto Budslaw, structurae genere et momento historico, at potissimum religionis cultu, dudum eminent. Cum vero Venerabilis Frater Casimirus Świątek, Archiepiscopus Minscensis Latinorum–Mohiloviensis Latinorum, postulaverit ab Apostolica Sede, suum communeque cleri et populi christiani votum proferens, ut templum, quod diximus, ad Basilicae Minoris gradum et dignitatem, primum in illa archidioecesi, in perpetuum eveheretur, Nos huic petitioni libenti animo sumus obsecuti. Congregationis igitur de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consultu deque Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, harum Litterarum vi, statuimus, ut sacra aedes Deo consecrata in honorem Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae in loco vulgo Budslaw appellato ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competunt.

Mandamus praeterea ut ea serventur quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX datum, servanda sunt. Contrariis quibusvis non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Iunii, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*